



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon Prussiae

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. XXXI. De Apostasia prima Pruthenorum. De Svventopelci contra fratres Domus Teutonicae Anno Domini MCC.XLII. & primo de invidia Diaboli contra prosperitatem fidei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

CAP. XXXI.

De

(a) *Apostasia prima Pruthenorum. De
Sventopelci contra fratres Domus Teutonice
Anno Domini MCC. XLII. & primo de invidia Dia-
boli contra prosperitatem fidei.*

Longum & supra ingenii mei parvitatem esset singulariter
lenunciare, quam potenter, & magnificè, quam eleganter &
strenuè Magister & fratres prædicti, tanquam alteri Macchabæi,
in ampliando fines Christianorum & dilatando, & impugnando
hostes, in expugnando munitiones ingesserunt manus suas,
quorum proelia & triumphos usque ad finem seculi narrabit om-
nis Ecclesia sanctorum. Postquam ergo Deo propitio omnia
prædicta castra essent ad laudem & gloriam Christi ædificata, &
vicinæ gentes in circuitu durissimæ cervicis colla fidei & fratri-
bus submisissent; Non tamen sine gentium ipsarum strage maxi-
ma, multaque Christiani sanguinis effusione, & fides Christi in
eis maximè profecisset, serpens antiquus, draco venenosus, hu-
mani generis inimicus, tantam prosperitatem fidei & fidelium
diu sustinere non valens, Ecclesiam scilicet sanctam in Prusie
partibus dilatari, cultum divinum ampliari, infideles confundi,
exaltari Christianos, innovari signa, immutari mirabilia, quasi
lethali vulnere malitiæ suæ interius sauciatis, coepit mille modis
cogitare & variis machinationibus procurare, qualiter vene-
num suum posset latenter infundere, vineam Domini demoli-
ri, & in agro Domini Zizaniam superseminare. Tandem exci-
tavit contra fidem & fidelium turbam persecutionem durissi-
mam, in hunc modum.

ANI-

*Hermannus de Saltza IV. Mag. Ord. Teut. Generalis.
Poppo de Osterna II. Magister Prussiae Provincialis.*

ANIMADVERSIO.

(a) Apostasias Prussorum eas in hoc opere tantum enumerat, quæ sub Ordine Teutonico contigerunt. Harum prima præsentis capite commemoratur: secunda quæ annos 15. duravit cap. 84. & 167. Tertia cap. 184. Quarta cap. 222. Quinta cap. 255.

CAP. XXXII.

De

*Persecutione Sventopelci contra fidem
& fideles in Prussia.*

Fuit in terra Pomeraniæ Dux quidam nomine (a) Sventopelcus, filius iniquitatis & filius perditionis, ut Scriptura impleatur, habens cor plenum omni dolo & fallacia, qui cœpit cum Pruthenorum gente jam noviter conversa ad fidem Christi habere verba pacifica in dolo, confœderans se cum ipsis sub hoc pacto, quod ipsi Fratres domus Teutonicæ & alios Christi fideles à terminis Prussiae ejicerent violenter, bonusque visus est sermo in oculis eorum, & abierunt multi & quasi omnes consenserunt ei. Hoc facto, idem Dux firmavit castra sua circa litus Wisele sita, & posuit in eis gentem peccatricem, viros iniquos & sceleratos, qui facti sunt fratribus in laqueum magnum. Exierunt enim de dictis castris & quoscunq; fratrum subditos viderant navigio praterire, irruerunt super eos repente, & percusserunt eos plagâ magnâ, deducentesque spolia multa, alios ceperunt, quosdam miserabiliter occiderunt, sicque Christianorum sanguinem per circuitum effuderunt, & toties hoc factum fuit, quod nullus de cætero negotia fratrum agere, aut victualia fratribus de Elbingo & Balga & de locis aliis in summa necessitate constitutis ducere præsumebat. Hæc omnia fratres cum
omni